

12 v.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DU
CHRISTO ΘEAN-
OPΩ, MEDIATORE GENE-
RIS HUMANI:
Quam,
JEHOVA Auxiliante,
SUB PRESIDIO
REVERENDI ET DOCTISSI-
MIVIRI, D.N. GEORGII PASORIS IN
Illustri Schola Nassovica Sigenensi S.S. Theologiae
Professoris ordinarii, præceptoris summè colendi,
Theologiae studiosis ventilandam & exa-
minandam publicè proponit

Theophilus Frei Scaphusianus Helvetius.

HERBORNE NASSOVIORVM
Ex officina typographica Christophori Corvini.

clo 19 c VIII.

N O B I L I T A T E , E R U -
D I T I O N E , P R U D E N T I A , O M N I -
Q U E V I R T U T U M G E N E R E
præstantissimis viris:

D N . ALEXANDRO PEJERO, Præfecto Kleckovia,
D N . HENRICO PEJERO.
D N . DAVIDI PEJERO.
D N . BARTH. PEJERO J.U.D. } Scaphusianis fra -
D N . TOBIÆ PEJERO. tribus germanis,
D N . JOHANNI PEJERO.
D N . JOHAN. PEJERO.
D N . HENRICO RIETMANNO Scaphusiano:

N E C - N O N
REVERENDIS A C D O C T I S .
S I M I S V I R I S :

D N . JOHANNI JACOBO FREI, Ecclesiae Wilckin -
gensis in Kleckoviâ antistiti vigilantissimo, Patruo
suo percaro:
D N . JOHANNI CONRAD O S P E L L I S T O , Scholæ
Scaphusianæ fideliter inservienti, affini suo dilecto:

Dominis Macenatibus ac fautoribus studiorum summa
obseruantia colendis; honoris ac gratitudinis ergo
hanc disputationem inscribit & offert

THEOPHILUS FREI, Scaphusianus Helvetius.

T H E S I S . I.

Summam ac præcipuam nostram sapientiam in CHRISTI cognitione positam esse, docet Apostolus Paulus Philip. 3, v. 8. nec non I. Cor. 2, v. 2. ubi ait: *se inter Corinthios nihil aliud scire statuisse, nisi JESUM CHRISTUM, eumque CRUCIFIXUM.* Quare ut in tam sublimi & abstrusa sapientia, quam Deus per solum Spiritum sanctum electis suis revelat, I. Cor. 2, v. 10. *nobis autem Deus retexit per Spiritum suum; pro-* ficiamus, *theses aliquot de tanto hoc mysterio ad Christianam evaginatio-* nem ex verbo Dei in timore Dei proponere libuit.

I I.

Hunc verò JESUM CHRISTUM ut rectè agnoscamus, duo tenenda sunt, primò quænam sit ejus persona: deinde quodnam gerat officium.

I I I.

Ad personam quod attinet: est Filius DEI, per unionem hypostaticam homo factus. Joh. 1, v. 1. *Sermo erat Deus: vers. 14. Sermo caro factus est.*

I V.

Hæc descriptio ut planior evadat, primò considerabimus naturam assermentem & assumptam; deinde earundem hypostaticam unionem; nec non hujus effecta & finem.

V.

Natura assumens est secunda persona sacrosanctæ Trinitatis, DEI Filius, Matth. 3, v. 17. *Et ecce vox è cœlis, dicens: Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquisco.* Joh. 1, v. 34. *Ego igitur vidi, & testor hunc esse Filium illum DEI;* ante secula à prima persona, quæ est Deus Pater, modo ineffabiliter genitus, Joh. 1, v. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius, qui est in simu Patris, ille nobis exposuit:* & v. 14. *Spectavimus gloriam ejus, gloriam unigeniti regredi à Patre.* & cap. 3, v. 16. *Ita enim Deus duxit mundum, ut Filium illum suum unigenitum dederit.* Prov. 8, v. 22, 23, 24. *Jehova posidebat me principio via sue;* ante opera sua, ante ullum tempus, ante seculum inuncta sui; ante principium, ante primordia terra. *Quum nullæ essent abyssi, edita eram: v. 25. Quum nondum*

factum esset ut montes demersi incuberent terre, ante colles edita eram: Patri
d^o p^r o^s tⁱ O^r, Jerem. 23, v. 8. Sed vivit Iehova, qui exexit & qui deduxit semen domus
I^r s^a i^e lⁱ s &c. Johan. 5, vers. 19. Quaecunq^z Pater facit, h^ac etiam Filius pariter facit.
Philip. 2, v. 6. Qui quum esset in forma D^t 1, non duxit esse rapinam, parem esse cum
Deo; æternus, Joh. 1, v. 1. In principio erat sermo ille. Apoc. 1, v. 8. Ego sum A&Ω,
principium & finis, & v. 17. Ego sum primus ille, & ultimus ille: infinitus, Matth.
18, v. 20. Ubi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illuc sum in medio eorum;
& cap. 28, v. 20. Ego vobiscum sum omnibus diebus usq^z ad consummationem seculi:
omnipotens, Apoc. 1, v. 8. Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est, ille, in-
quam, omnipotens: omniscius, Apoc. 2, v. 23. Et cognoscant omnes Ecclesia me
esse scrutatorem rerum & cordium, Matth. 9, v. 4. Et quum vidisset Jesus cogita-
tiones eorum, &c.

V I.

Natura assumta est, natura illa humana, quam d^o λ^όγ^ο O^r, seu Filius
D^EI assumpsit ex virgine Maria, Heb. 2, v. 16. Non enim utiq^z angelos assum-
psit, sed semen Abrabe. Gal. 4, v. 4. emisit D^EUS Filium suum factum ex muliere;
secundum quam naturam nobis per omnia est similis, excepto peccato,
Heb. 2, v. 14. Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoq^z
consimiliter particeps factus est eorundem; & v. 17. unde debuit per omnia fratribus
similis fieri. & cap. 4, v. 15. Rom. 8, v. 3.

V II.

Quamvis verò sit verus Deus, & verus ac perfectus homo, cor-
pore, & animâ rationali constans, Heb. 10, v. 5. Sacrificium & oblationem
noluisti, corpus autem aptasti mihi. Matth. 26, v. 38. Undiquag^z tristis est anima
mea usq^z ad mortem; tamen non duo, sed unus est Christus, i. Tim. 2, v. 5.
Unus enim est D^EUS, unus etiam mediator D^EI & hominum, homo Christus
Jesus.

VIII.

Humana enim natura, propriæ *καρνασσως* expersa in λόγῳ, qui eam
assumpsit, & sibi personaliter univit, subsistit, & in æternum gestatur, ac
sustentatur tanquam ejus ἀν^τη πόσατον δε^{κτ}αρον. Colos. 2, v. 9. Nam in eo in-
habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

IX.

Idq; sine ullâ naturæ assumentis & assumptæ confusione, salvis ac
distinctis manentibus ambarum proprietatibus.

Natura

X.

Naturæ assumtæ proprietates sunt vel essentiales, vel accidentariae. Joh. 2. v. 19. & cap. 10. v. 18.

XI.

Essentiales sunt, quæ ad naturæ existentiam necessariò requiruntur, hominisque essentiam ita consequuntur, ut sit à dūcitor eis à natura humana, sine ejusdem destructione, separare.

XII.

Et hæ sunt vel animæ, vel corporis. Animæ sunt facultas intelligendi. Luc. 2. v. 47. Per celabantur autem omnes qui eum audiebant, super intelligentia & responsis ejus; ratiocinandi, Luc. 2. v. 46. Et factum est, triduo post ut invenirent eum in templo, sedentem in medio Magistrorum, & audientem eos, & eos interrogantem; volendi, &c. Luc. 22. v. 15. Desiderio desideravi hoc pascha edere vobiscum, antequam ego patiar: item esse incorporeum, invisibile, impalpabile.

XIII.

Corporis essentiales proprietates sunt: esse solidum, sensilem habere quantitatem, figuram, dimensionem, Luc. 24. v. 39. Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum: contrectate me, & videte: nam Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me conspiciunt habere: videlicet longitudinem, latitudinem, profunditatem: ac propterea esse visibile, palpabile, & locale. Johan. II. v. 15. Et gaudeo propter vos (ut credatis) me illic non fuisse. Matth. 15. 29. Act. 3. v. 21.

XIV.

Proprietates accidentariæ sunt, quæ non semper ad humanæ naturæ existentiam fuerunt necessariæ, sed ita ei adhæserunt, ut ab eâ salvâ integrâq; nihilominus illâ manente, separari potuerint.

XV.

Et hæ pro statu Christi dupli, exinanitionis nimirum, & exaltationis, etiam duplices sunt, infirmitatis & excellentiæ ac gloriæ.

XVI.

Suntque proprietates exinanitionis vel animæ, vel corporis. Animæ; ut ignorantia ultimi diei, Marc. 13. v. 32. Sed de illo die (videlicet ultimo) ac horâ nemo scit, ne Angeli quidem qui in celo sunt, neq; ipse Filius, sed Pater; privationis fructuum in fico eminus conspecta; Marc. 11. v. 13. Quumq; procul vidisset sicum habentem folia, venit (visurus videlicet) num inveniret ali-

quid in ea; & quum venisset ad eam, nihil invenit nisi sola; tristitia, Matth. 26, v. 38. Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 27, v. 46. tremitus spiritus, Joh. 11, v. 33. Iesus autem ut vidit eam flentem & Iudeos, qui una venerant cum ea, flentes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum, & v. 38. indignatio, Matth. 16, v. 23. At ille sese convertens dixit Petro, abscede a me Satana, offendiculus es mihi; ira, Marc. 3, v. 5. Et quum circumspexisset eos cum ira, simul dolens quod occalluisset cor eorum.

XVII.

Corporis accidentiarum proprietates status infirmitatis sunt: defatigatio, Joh. 4, v. 6. Iesus ergo fatigatus ex itinere ita sedet ad fontem; fames, Matth. 4, v. 2. Et quum jejunasset (Iesus) dies quadraginta, & noctes quadraginta, postea esurit; siti, Joh. 19, v. 28. Postea, quum sciret Iesus omnia iam esse perfecta, ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio; sudor sanguinis, Luc. 22, v. 44. Erat autem sudor ejus quasi grumi sanguinis descendentes in terram; dolor, Heb. 5, v. 7. Qui in diebus carnis sua, deprecationibus & supplicationibus oblatis cum clamore valido & lachrymis apud eum qui poterat ipsum servare a morte, & exauditi precibus, (liberatus) ex metu: & v. 8. quamvis filius esset, (tamen) ex iis qua passus est didicit obedientiam: & denique ipsa mors, Matth. 27, v. 50. Iesus autem cum rufus clamasset voce magna, emisit spiritum.

XVIII.

Proprietates excellentiarum etiam accidentunt vel animarum, vel corporum. Animarum sapientia scientiaque eximia, Heb. 1, v. 9. Unxit te, o Deus, Deus tuus oleo exultationis ultra confortes tuos: potentia magna, Matth. 28, v. 18. Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.

XIX.

Corpori accidentunt; immortalitas, Rom. 9, v. 9. Ut quis ciascum Christum suscitatum ex mortuis, non amplius mori: mortem (inquam) ei non amplius dominari; fulgor caelestis ac gloria excellens, Matth. 17, v. 2. Transformatusque est coram eis, & fulsis facies ejus ut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba ut lux. Philip. 3, v. 21. Qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpus gloriose, pro vi illa efficace, quae potest etiam sibi subjecere omnia.

XX.

Licet verò humana Christi natura hisce donis, tanquam quadam prærogativâ, tam angelos, quam homines longè excellat, Heb. 1, v. 9. Dilexisti justitiam, & odisti transgressionem; propterea unxit te, o Deus, Deus tuus oleo exultationis ultra confortes tuos; non tamen idcirco est (ut ita loquar) deificata,

itiae, Martini
7. v. 4.6. f.
dene quia una
38. indigne
5. et ana offens
mali dolere qu
ritatis fons
ad fontem; i
nocte quan
omnia jen
is, Loc. 2.
ram; doles
lum oblitus in
mortuus, c.
men, Ier. qu
v. 30. f.
ima, vel
te, & Deus
th. 28. v.
te qui sciam
num jen
2. Transfor
se, ut conser
cere omnia
elle, He
ff. ut in
des

deificata, nec divinæ naturæ proprietates ei sunt communicatæ.

X XI.

Hactenus de naturâ assumente, & assumtâ; sequitur unio hypostatica, quæ est harum duarum naturarum, nempe divinæ & humanæ, in unitatem personæ conjunctio; quod mysterium est omnium mysteriorum maximum, i. Tim. 3, v. 16. Et sine dubio magnum est pietatis mysterium; Deus conspicuus factus est in carne.

X XII.

Effecta hujus unionis hypostaticæ sunt præcipue tria.

X XIII.

Primum, quod à naturâ assumente, in naturam assumtam effusa sunt omnis generis χρισματα ac bona, tantâ copiâ, ac mensurâ tantâ, quantâ in creaturam aliquam conferri possunt. Joh. 3, v. 34. Non enim huic admittitur Deus spiritum. Heb. 1, v. 9. Unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo exultationis ultra confortes tuos.

X XIV.

Alterum, quod distinctæ actiones utriusque naturæ, divinæ nempe & humanæ, ad unius ejusdemque ἡπτελέοματος redemptionis salutisque nostræ productionem concurrunt, communeque opus efficiunt.

X XV.

Hic igitur natura una agit cum communione alterius, sed tamen unaquæque quod suum est exsequitur: verbo scilicet operante quod verbi est, & carne cooperante quod carnis est.

X XVI.

Diligenter igitur notandum est discrimin inter operantem seu agentem: inter actionum principia, secundum quæ & per quæ agens operatur: inter actiones, quibus operatur: inter opera seu ἡπτελέοματa quæ operatur.

X XVII.

Operans seu agens est persona ipsa Christi, duabus naturis constantis.

X XVIII.

Principia secundum quæ & per quæ operatur, sunt duas naturæ, earumq; proprietates.

X X I X.

Actiones quibus operatur, aliæ sunt Deitatis propriæ; aliæ huma-
nitatis: quæ quidem communionem habent ad unum idemque & no-
tissima; sed non communicationem inter se, ita scilicet ut vel actio ali-
qua naturæ humanæ communis ei sit cum natura divina, tanquam ab
illa quoque procedens, vel contraria: quia alioquin actiones illæ desine-
rent esse propriæ.

X X X.

Opera, seu & mortalia sunt externa facta, præsertim ad salutem
nostram spectantia, ut est Ecclesiæ redemptio, gubernatio, conser-
vatio.

X X X I.

Tertium unionis effectum est *coenobia idiomatum*, hoc est, com-
municatio proprietatum, quæ est tropus seu modus loquendi synec-
dochicus, quo quod unius in Christo naturæ est proprium, tribuitur i-
psi personæ ab altera natura denominata. Quæ quidem ratione perso-
næ, citra naturarum distinctionem considerata, realis appellari potest;
respectu verò naturarum inter se comparatarum realem esse perne-
gamus.

X X X II.

Cùm enim per unionem hypostaticam in una Christi persona
duæ naturæ sint unitæ, rectè vereque utriusque naturæ proprietates de
persona in concreto prædicantur; sed non vice versa, omne quod de
persona prædicatur, idem quoque de naturis seorsim sumtis enuncia-
tur. Nam non quicquid (ut canon Logicus habet) de integro enuntia-
tur, id etiam de singulis ejus membris. Verbi gratiâ: Rectè dicimus:
Dominum gloriæ pro nobis crucifixum esse: at non rectè, Deitatem
pro nobis esse crucifixam.

X X X III.

Hæc de effectis unionis hypostaticæ; sequitur ejus finis, qui est
ut Christus esset persona apta ac idonea ad officium mediatoris inter
Deum & homines obeundum & exsequendum: ad quod nemo potuit
esse aptus, nisi solus is, qui esset simul verus Deus, & verus homo.

X X X IV.

Nam primò Mediator noster verus Deus & verus homo esse de-
buit, quia cum utrique parti, offensæ & offendenti, inter se reconcili-
andæ,

andæ, cognatum esse oportuit; atque idcirco utriusque charum & utramque charam habentem.

X X X V.

Deinde oportuit eum esse verum Deum & verum hominem, ut esset mediator atque servator noster merito & efficacia.

X X X VI.

Merito quidem, ut mereretur nobis remissionem peccatorum, Matth. 20.28. Spiritum S. nos regenerantem, Gal. 3.v.14. & vitam æternam, Joh. 3.vers.16.

X X X VII.

Ad merendam verò remissionem peccatorum, necesse erat, ut sanguis filii Dei, atque adeò ipsius Dei effunderetur, i. Joh. 1.v.7. *Sanguis Iesu Christi filii ejus (DEI) purificat nos ab omni peccato: Act. 20.v.28. Ecclesiam acquisivit Deus per proprium sanguinem;* & infinitæ iræ DEI satisficeret: Heb. 9.v.22. *Absq[ue] sanguinis effusione non fit remissio:* quem sanguinem Servator noster pro nobis profundere, & mori non potuisset, nisi fuisset verus & perfectus homo; nec ex abyssō æternæ mortis eluctari, nisi verus quoque fuisset Deus.

X X X VIII.

Efficaciam, ut per Spiritum S. fidem in nobis efficeret, in fide semel data nos conservaret, Joh. 10.28. *Nemo rapiet oves meas ex manu mea,* Joh. 1. v. 33. *bic est qui baptizat Spiritu S.* & promtos nos redderet ad omne bonum opus: 2. Cor. 9.8. *īva σεως δὲ τοῖς πᾶν ἐργον ἀγαδόν.* quæ rursus Servator nunquam præstare valuisset, nisi verus fuisset Deus.

X X X IX.

Hactenus de personâ SERVATORIS; sequitur de officio ejus, quod triplex est: Propheticum, Deut. 28.v.15. *Prophetam è medio tui è fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi Iehova Deus tuus: et auscultate: Sacerdote,* Psal. 110.v.4. *Juravit Iehova, Et non paenitebit eum; tu es sacerdos in seculum, secundum ordinem Malcitzedeki* Heb. 7.v.21. & Regium, Joh. 18.v.37. *Tu dicis me regem esse. Ego ad hoc genitus sum, et ad hoc veni in mundum, ut dem testimoniū veritati.* Matth. 28. vers. 18. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.*

X L.

In propheticō officio notanda sunt quinque: Vocatio, Præparatio, Exsequutio, Locus & Tempus.

X L I.

Vocatus fuit ad hoc officium immediate, idque interne, & ex-
terne.

X L I I.

Internè vocatus fuit partim per corroborationem Spiritus, Luc.
2. v. 40 Puerulus autem crescebat & corroborabatur Spiritu, implebaturq; sapien-
tiā; & inclinationē ad studium verbi divini jam inde à pueritia, Luc.
2. v. 46 47 partim vero quum plenitudinem Spiritus accepit in bapti-
fimo, Matth. 3 v. 16 Et baptizatus Jesus ascendit statim ex aqua: Ecce, aperi-
tū sunt ei cæli, & vidit spiritum Dei descendente quāsi columbam, & venientem
super ipsum.

X L I I I.

Externè, quum solenniter in ipso baptismo ad hoc munus fuit
consecratus atque ordinatus, voce Dei Patris cælitus demissā: Hic est Fi-
lius meus ille dilectus, in quo acquiesco, Matth. 3. v. 17. & cap. 17. v. 5.

X L I V.

Præparatus fuit, quum in deserto fuit tentatus à diabolo, postquam
jejunasset per quadraginta dies ac noctes, Matth. 4. v. 2. 3. &c.

X L V.

In exequatione spectanda est doctrina, & ejusdem confirma-
tio.

X L V I.

Doctrina est quā eruditivit Ecclesiam de rebus ad salutem ne-
cessariis.

X L V I I.

Doctrina hæc est vel patefactio Evangelii, vel Legis interpre-
tatio.

X L V I I I.

Patefactio Evangelii, est institutio Ecclesiæ de electorum ho-
minum redēctione per ipsum procurandā, Matth. 20. v. 28. Sicut filius ho-
minis non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret, detq; animam suam in redēcti-
onis pretium pro multis. Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum ut filium suum uni-
genitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eter-
nam.

Legis

X L I X.

Legis interpretatio, est institutio Ecclesiæ de Lege Dei ex mente ac sensu ipsius Legislatoris intelligendâ, simulque vindicatio à Scribarum & Pharisæorum corruptelis. Matth. 5. v. 22. 28. 34. 32. 35. 36. 39. 40. & 44.

L.

Confirmatio doctrinæ est, quâ Christus doctrinam Ecclesiæ propositam miraculis divinis variè confirmavit. Matth. 9. v. 7. 22. 25. 30. & 33. Luc. 7. v. 10. 15.

L I.

Locus, ubi Christus docuit, fuit terra Palæstina, ideoque minister circumcisionis ab Apostolo Rom. 15. v. 8. vocatur, & ad solos Israëlitas se missum esse ipse met testatur, Matth. 15. v. 24.

L I I.

Ad tempus quod attinet, officio hoc functus est ferè quadriennium, quamdiu post baptismum in his terris versatus est.

L I I I.

Sequitur officium sacerdotale, cuius partes sunt satisfactio, & intercessio. Levit. 16.

L I V.

Satisfactio est quâ Christus, tanquam sacerdos & victimâ se ipsum pro nobis semel Heb. 7. 27. obtulit & immolavit in ara crucis, Heb. 9. vers. 14. ubi non solum corpore passus est, sed in primis animâ, Matth. 26. v. 38. quâ pro nobis gustavit infinitam Dei iram, Matth. 27. v. 46. atq. ita ipse factus est propitiatio pro peccatis nostris. I. Joh. 2. 2. & nos redemit ab execratione legis. Gal. 3. 13.

L V.

Intercessio est, quâ pro nobis intercedit, Joh. 17. v. 9. Ego pro iis rogo; non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt; idque non semel vel in hac tantum terrâ, sed etiamnum nostrâ causâ in cælis coram facie Patris absque interruptione appetat, Heb. 9. v. 24. Non enim in manu fiduciarum ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens; sed in ipsum calum, ut compareat apud faciem Dei pro nobis. I. Joh. 2. v. 1. Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Iesum Christum justum.

L VI.

Ubi tamen non est existimandum, Christum in statu exaltationis

devolvi ante Patrem flexis genibus, sicut eum in statu humilationis fecisse constat, Luc. 22. v. 41. *Tum ipse abscessit ab eis quasi ad iactum lapidum, positusque genibus oravit;* sed eum coram Patre in cælo adyto illo sine manibus facto apparere: Heb. 9. v. 22. quæ apparitio vim habet vivæ orationis.

L VII.

Sequitur postremò officium regium, quod non est mundanum, sed spirituale, cæleste & æternum, Joh. 18 v. 36. *Regnum meum non est ex hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certassent ne traducerer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc;* quo nos regit & tueritur.

L VIII.

Regit verò nos vel internè, vel externè; vel internè & externè simul.

L IX.

Internè regit nos spiritu suo, Ephes. 3. vers. 16. *Ut det vobis, pro diuinitate suâ gloriâ, ut fortiter corroboremini per spiritum suum in interiori homine;* verbum suum non tantum præscribit, sed etiam animis inscribit, Ezech. 11. versu 19. *Nam indam ipsis cor unum, & spiritum novum ponam in medio vestri, amovens, inquam, cor lapideum à carne eorum indam eis cor carneum:* externè verbo tam visibili quam audibili, id est, tam sacramentis, quam prædicione Evangelii, Matth. 28. v. 19. *Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii, & Spiritus sancti:* internè & externè simul, afflictionibus seu castigationibus 1. Cor. 11. v. 32. *Sed dum judicamur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur.*

L X.

Deinde tuetur nos in hac terrâ contra hostes; qui sunt vel extra nos, vel intra nos.

L XI.

Extra nos sunt qui extrinsecus nos ad peccandum alliciunt.

L XII.

Suntque vel Satanás, vel mundus.

L XIII.

Satanás tot modis nos ad peccandum allicit atque tentat, quæ sunt vel esse possunt errores, & quot etiam sunt peccata: præcipue vero tribus modis, aut desperando, aut securos nos reddendo, aut contem-

tores

tores Dei efficiendo, ut ex Christi capitinis nostri exemplo manifestum est, Matth. 4.

L X IV.

Mundus verò hoc facit aut malo exemplo ac blanditiis, quibus nos seducere & à via veritatis avocare conatur: aut apertâ vi, quâ Ecclesiastim Christi persequitur.

L X V.

Hostis intra nos est, qui intrinsecus nos ad peccata cogit: ut est caro nostra, hoc est, peccatum originale; qui est hostis domesticus, quem semper in sinu circumferimus, quique omnium nobis est molestissimus. Rom. 7.

L X VI.

Contra omnes illos hostes Christus pro omnipotentiâ suâ nos protegit ac defendit, Joh. 10.28. Ephes. 4.v.8. Joh. 16.v.33. Rom. 8. v.38. 39. Christus, inquam, contrivit caput serpentis, Gen. 3.v. 15. Colos. 2. v. 15. Heb. 2. vers. 14. 15. vicit mundum, Johan. 16. versu 33. & Spiritum sanctum nobis largitur, cuius auxilio veterem hominem, ne nobis dominetur, compescimus & domamus. 1. Joh. 5.v.4.

L X VII.

Arma militiae nostræ sunt spiritualia, non carnalia; quia nec nos, nec regnum, cuius nos cives sumus, carnale est; quorum armorum describuntur sex ab Apostolo Paulo Ephes. 6.v.14-15. 16. 17. 18. Veritas, Justitia, Evangelium, Fides, Verbum Dei, & Preces.

L XVIII.

Non verò æternum bellum cum his hostibus geremus, sed tandem cum Christo Rege nostro plenè eos vincemus, & ipsimet eos iudicabimus, id est, ad æternam mortem damnabimus, 1. Cor. 6.v.2. hoc est, sententiam damnationis à Rege nostro latam, tanquam justissimam, nostrâ approbatione confirmabimus.

L XIX.

Atque tunc regnum hoc omnibus nostris hostibus partim deletis, partim in tartarum detrusis Matth. 25.v.34. erit pacatissimum, consummatum, nullisque amplius persecutionibus obnoxium.

Apocalypf. 22. v.20.

Ναὶ ἔρχεται οὗτος.

QUÆSTIONES.

L. I

An Christus corpore suo, seu secundum humanam suam naturam sit ubiq? Neg.

Rationes. I. quia est verus homo, nobis per omnia, excepto solo peccato, similis, Heb. 2. v. 17. Si vero per unionem hypostaticam divina & humanæ naturæ (ut volunt Ubiquitariorum) natura humana facta esset omnipræsens, tunc Christus non esset verus homo, quia natura ejus humana per communicationem illam proprietatis divinæ effecta esset natura divina. II. quia proprietates divinæ cum ipsa essentia unum & idem sunt. Cui igitur communicantur proprietates divinæ, ei & divina essentia communicatur. Hæc autem nulli creaturæ communicatur, sed tantum tribus illis divinis personis. III. quia, si quædam proprietates humanæ naturæ Christi essent communicatae, tunc etiam reliquæ omnes, ut: æternitas, infinitas, &c. essent ei communicatae. Nam proprietates divinæ sunt inseparabiles, ac à se in vicem divelli non possunt: siquidem sunt ipsa essentia Dei simplicissima atque indivisibilis. IV. quia, quod proprium est, communicari nequit: alioquin proprium esse desineret. At omnipræsenta est proprietas Dei solius: quia si solus est infinitus. Nec est ullius momenti ac ponderis, quod Adversarii unionem hypostaticam obtendunt, quasi hujus vi in humanam naturam transfulgeant Dei proprietates. Ut enim unio illa facta est salvis utrisque naturis; ita & naturarum proprietatibus. Et si humana natura per unionem illam participasset proprietates divinas; non unio, sed ~~unio~~ propria ~~est~~ quædam ac confusio foret. Quia vero Adversarii hanc proprietatum communicationem ex plurimis sacra scriptura locis aliquaque rationibus probare ac corroborare summo studio nituntur, haec sequentes regulæ possunt observari: ad quas si ipsorum argumenta examinabimus, facile in quam impingant deprehendemus, atque ita ad ea respondere melius poterimus.

Regula

~~ad finem~~
~~et de latere~~
~~et a parte~~

E S.

Regula I. Principale agens non communicat vim suam instrumento. Humana natura est instrumentum ἐντόσατον personæ Filii Dei. I L. Quædam prædicantur de Christo, quâ Deus; atque hæc divina sunt: quædam prædicantur de eodem, quâ Θεάνθρωπος, Deus & homo in unitate personæ; atque hæc sunt θεοφίκα, partim divina, partim humana; quædam verò de eo prædicantur, quâ homo; atque hæc humana sunt. Et hi actus non confunduntur, sed distincti manent. Itaque à parte seu naturâ unâ de alterâ, nihil concluditur, aut contra alteram. III. Persona Christi secundùm utrunque naturam, distinctis earum proprietatibus, secundùm divinam principaliter, secundùm humanam instrumentaliter, secundùm utrunque magnificè & mirabiliter operatur. IIII. Unio non tollit naturam unitorum. V. Etiamsi unio sit ἀκόλθιος, reciproca, tamen inferius subsistit in superiori, ut brachium in corpore. VI. Unio facta est αὐτογάλλως, καὶ αὐτέπιλος, καὶ αὐτοφέρως καὶ αὐτοείσως. VII. Non rectè à persona transitus fit in argumentando ad naturam. VIII. Αποτελέσματα θεοφίκα, id est, personalia & nomina officii; quæ personæ secundùm utrunque naturam competunt, falsò uni naturæ tanquam propria ascribuntur. Hæc autem attributa Filio Dei secundùm naturam divinam (cui nihil in se addiaut detrahi potest) competunt per δικαιοματα, dispensationem gratiæ, quâ se ipse exinanivit voluntariè, ut idem suâ naturâ summus, infimè sese ad ea omnia, quæ ut homo fecit, & perpeccus est, submitteret voluntate propriâ in assumptâ carne, sed naturâ utrâque semper integrâ permanente, & salvis utriusque naturæ proprietatibus. IX. Propria οὐσία τῆς στολῆς, hoc est, essentialia, in naturam atque essentiam aliam & differentem non transeunt: in primis autem divina, quæ omni modo & omni tempore sunt ἀκοινώνια: quum Deus neque aliud fieri possit, (nam esset mutabilis) neque aliud fieri Deus. Nam nec unus foret Deus, nec simplicissimus.

II.

An Christus sit Mediator noster secundum utrunque naturam? Affir. *p. 111.*

Ratio. I. Quia ad reconciliandum nos Deo secundum humilitatem pro nobis passus est, divinitate interim eam sustentante sub

in mole iræ divinæ ne pessum iredet, nec non illud λύτρον satis pretiosum reddente.

I I I.

An Christus pro omnibus in universum hominibus
sit mortuus?

Ad hanc quæstionem per distinctionem respondendum esse nonnulli arbitrantur, quod nimis aliquot sacrae scripturæ loca, quæ sibi invicem contradicere atque repugnare videntur, possint conciliare, atque ita sacras literas à contradictionis suspicione liberare; velut sunt 1. Johan. 2. versu 2. Hebr. 2. versu 9. 2. Cor. 5. versu 15. 1. Tim. 2. versu 6. Hisce in locis & alibi passim dicitur, Christum pro mundo, item pro omnibus esse mortuum: hisce vero sequentibus, pro multis tantum, pro electis, pro populo suo, pro Ecclesiâ, pro omnibus, &c. ut Johan. 17. versu 9. Matth. 20. versu 28. Matth. 15. versu 24. Matth. 28. versu 28. Matth. 1. versu 21. Hebr. 9. versu 28. Esa. 53. versu 11. Ephes. 5. versu 25. &c. Distinguunt autem sic: quod Christus sit mortuus pro omnibus hominibus in universum sufficienter, sed non efficienter, seu efficaciter, atque ita sit mortuus pro omnibus, & non pro omnibus, diverso nempe respectu. Pro omnibus quoad sufficientiam τῇ λύτρᾳ; quia videlicet Christi λύτρον sit sufficiens pro omnibus, omnium hominum, seu totius mundi, peccatis expiandis, modò omnes id fide sibi applicarent. Non pro omnibus, sed pro electis & fidelibus solummodo, quoad efficaciam & applicationem: quia soli electi ac credentes meritu ac satisfactionem Christi fide sibi applicant, & efficaciam ejus, hoc est, justitiam & vitam ex ea consequuntur. Quia vero distinctione hæc implicat contradictionem, nos ad propositam quæstionem simpliciter respondemus per negationem. Nam si Christus pro omnibus & singulis hominibus, nemine excepto est mortuus: sequitur, eum morte suâ voluisse singularium peccata expiare, illorumque remissionem eis à Deo impetrare. Hoc enim ipsum illâ phrasi significatur. Si autem Christus istud efficere suâ morte voluit: utique effectit. Nam quicquid unquam efficere voluit, id effectum dedit; sive ut omnipotens Deus, sive ut

9

sive ut fidelis servus Patris, quem Pater semper exaudivit, Johan. 11.
versu 42. Quod si Christus morte sua remissionem peccatorum o-
mnibus hominibus impetravit, atque ita omnium reconciliationem
apud Deum effectit: quomodo igitur in illa distinctione negatur pro
omnibus esse mortuus efficienter seu efficaciter? Rationes vero ne-
gativæ sententiæ sunt hæc. I. Pro quibus se Christus obtulit, pro iis-
dem sese oblatus oravit. Nam offerre pro Dei populo, & pro eodem
orare, sunt duo summi sacerdotis officia inseparabili nexu cohærentia,
Levit. 16. Atqui non oravit pro omnibus in universum hominibus.
Johan. 17. versu 9. Ergo. II. Pro quibus se Christus sanctificavit,
hoc est, obtulit se Patri in sanctam victimam, pro iis est mortuus. At se
pro solis electis sanctificavit, Johan. 17. v. 19. Ergo. III. Pro quibus
Christus est mortuus, ii accipiunt remissionem peccatorum. Rom. 5.
v. 9. 10. 1. Joh. 1. v. 7. Heb. 9. v. 26. 28. Spiritum sanctum, Gal. 3. v. 14. Fidem
& regenerationem, Jerem. 31. v. 33. 34. Vitam æternam. Hcb. 5. v. 9. Gal.
3. v. 14. Atqui non omnes in universum accipiunt remissionem pec-
catorum, sed soli electi, Ephes. 5. v. 23. Neque omnes accipiunt Spir-
itum sanctum, sed soli electi, Johan. 14. v. 16. 17. Gal. 4. v. 6. Neque fi-
dem, 2. Thess. 3. v. 2. Johan. 6. v. 36. cap. 10. v. 26. cap. 12. v. 37. Rom. 8.
v. 30. sed soli electi, Johan. 6. v. 37. cap. 10. v. 26. Rom. 8. v. 30. Tit. 1. v. 1.
Act. 13. v. 48. neque regenerationem, Rom. 2. v. 5. 1. Thess. 2. v. 16. 2.
Tim. 3. v. 13. 2. Pet. 2. v. 14. sed soli electi, Rom. 8. v. 29. & 30. Nec denique
vitam æternam omnes accipiunt. Matth. 7. v. 23. & cap. 25. v. 41. 46. sed
soli electi, Rom. 8. v. 29. 30. Matth. 20. v. 23. cap. 25. v. 34. Ergo non pro
omnibus in universum hominibus, sed pro solis electis Christus est
mortuus. Ad allata supra ex sacrâ scripturâ loca, quæ Christum pro o-
mnibus esse mortuum affirmare videntur, respondemus, illa esse intel-
ligenda de omnibus electis atque credentibus: quia promissio[n]es E-
vangeli propriè ad omnes credentes spectant, & sacra pagina passim
eas ad solos credentes restringit, Johan. 3. v. 16. Rom. 3. v. 22. Act. 10. v.
43. &c. Unde etiâ Ambrosius libr. 1. de vocat. gent. cap. 3. scitè doce[re] que
dicit: *Habet populus Dei plenitudinem suam: & quamvis magna pars hominum*
salvantis gratiam aut negligat, aut repellat: in electis tamen & præfatis, atque ab
omni generalitate discretus, SPECIALIS quadam censetur UNIVERSALITAS, ut
de toto totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur
redemi.

recte
reclueo
Seneca

III.

An rectè dicatur Personalitas Filii Dei communicata carni Christi? Neg.

Personalitas enim est ipsum $\tau\bar{\nu}\alpha$ personæ, seu subsistentia illa, quam Filius per generationem à Patre accepit. Ea personalitas est æterna & immensa. At humana Christi natura, non est ab æterno generata à Patre, nec est immensa. Deinde si Personalitas communicata esset carni Christi, ipsa caro esset persona. Sed ea non est $\tau\bar{\nu}\alpha$, $\mu\epsilon\nu\alpha$ $\tau\bar{\nu}\alpha$, sed $\tau\bar{\nu}\alpha\pi\alpha\sigma\alpha\tau\bar{\nu}\alpha$ $\tau\bar{\nu}\alpha$, id est, assumta in personam Filii Dei, ut in ea sustentetur, & sustentata operetur.

F I N I S.





Patch Reference numbers on LUT
Image Engineering Scan Reference Chart T265 Serial No. 490

er semper exaudivit, Johan. 17.
â remissionem peccatorum o-
ita omnium reconciliationem
in illa distinctione negatur pro-
efficaciter? Rationes vero ne-
bus se Christus obtulit, pro iis-
pro Dei populo, & pro eodem
inseparabili nexo cohærentia,
ibus in universum hominibus.
ibus se Christus sanctificavit,
mam, pro iis est mortuus. At se
v. 19. Ergo. III. Pro quibus
missionem peccatorum. Rom. 5.
um sanctum, Gal. 3. v. 14. Fidem
tam æternam. Heb. 5. v. 9. Gal.
m accipiunt remissionem pec-
Neque omnes accipiunt Spiritu.
16. 17. Gal. 4. v. 6. Neque fi-
o. 10. v. 26. cap. 12. v. 37. Rom. 8.
10. v. 26. Rom. 8. v. 30. Tit. 1. v. 1.
om. 2. v. 5. 1. Thess. 2. v. 16. 2.
om. 8. v. 29. & 30. Nec denique
7. v. 23. & cap. 25. v. 41. 46. sed
23. cap. 25. v. 34. Ergo non pro
pro solis electis Christus est
urâ loca, quæ Christum pro o-
ur, respondemus, illa esse intel-
lentibus: quia promissiones E-
lectant, & sacra pagina passim
. v. 16. Rom. 3. v. 22. Act. 10. v.
ocat. gent. cap. 3. scitè doceque
: & quamvis magna pars hominum
electis tamen & praescitis, atque ab
m censetur UNIVERSALITAS, ut
omnibus omnes homines videantur

B s

releme
releve van
Senestie